R. P. FR. IOANNIS DE ASCARGORTA, *Sacræ Theologiæ Primarij Professoris in Regio, Magnoque Illiberitano Licæo Sancti Francisci de Observantia, & Archiepiscopatus Granatensis Examinatoris Synodalis*

MANUDUCTIO

AD CELEBRE INGENS OPUS, EIUS aliquale Compendium, & Approbatio ex Commissione Regia.

CONCORDIAM Grecæ, & Vulgatæ versionum, hinc inde versantium in supputatione annorum à Mundi exordio ad vsque Redemptoris nostri Natalitium, mirabili nova attentata via, à nemine trita semita, suscepit stabiliendam Illustrissimus D.D.D. Ioannes de Leiba, Iuris vtriusque Doctor notissimus, apud Granatensem Academiam in Facultate Pontificia Decanus, post alia ibi, & alibi semper ipsius meritis, & dexteritate imparia, aut minora munera, Regij Sacelli Illiberitani Dignissimus Præsul, Maior Cappellanus, ac tandem ad Infulas Sacras evectus in Sede Almeriensi constitutus. Eum dum in minoribus ageret, primam vidi imponere manum, & miror consumasse: quippe opus erat ingens, arduum, & non communitér animus ingrauescendus pro fœtus genitura. Sed tamen concepit Auctor, Librum peperit, secretioris eruditionis varietate plenum, sacratioris Chronologiæ veritate planum, omnibusque numeris absolutum. O qualis Liber! Sed, ò qualis Auctor! Nescies, cuius quis dignus, Auctor libri, an liber Auctoris. O Auctor! Respice, quantum post te reliqueris, & credent omnes quantum in Libro petas. O Liber! Maiora te non inuenies, quia talem meruisti Auctorem. Quid amplius? Eluctuat calamus, fateor, in elogio dignissimo, & benemerito: Sed cuiuscuius huc, illuc non volitaret penna laude sublimi? Rethores porrigant operi isti dexteram, haud gressus valebunt dinumerare. Quid densus Thucidides, si nitidum nostrum opus? Quid Issocrates, aut comptus, aut nitidus, si dulcis Liber? Quid Herodotus dulcis, si Auctor nervose acutus? Acutum vides Stagyritam, sed vltra Liber, & Auctor Mathematicis Arithmeticæ, & Geometriæ abundat regulis, Schemmatibus, Laterculisque; graui sententiarum pondere ponderati, inaffectata iucunditate præditi, vehementia dicendi, vbertate fœcundi, verbis pressi affluunt rebus, vbique amœni, tot eloquentiæ exuberant numeris, quot numeris exuberant pro eloquenti veritate. Sed age iam. Quid immoror forte calamistris puerilibus, aut caractere incompto, vel methodo affectata? Aggrediamur pro accurata Iudicij libra Grandævum opus, ætatem habet (per millenos enumerat annos) de se loquatur. Audiamus, sivè pro sui elogio digno, sivè pro nostri eruditione. Sed anteà penicillo breui ingens difficul-

tatis punctum; quod Auctoris fœliciter mouit calamum; proponamus.

1 Vniuersalis Chronologia, quæ per quinque ætates diuagatur apud Sacra Biblia à mundi fabrica vsque sextam attingit, ferè tot habuit, & habet Computatores, quot numeros; & ferè tanta in ipsis discordia, quanta cuiusque est varia supputatio. Huius in causa est Septuaginta Interpretum Translatio, & Vulgata nostra, quæ invicem numerorum coordinatas acies videntur ostendere ex opposito; & plus, minusve annorum in vitis Patrum, Generationibus, Mortibusque agglomerant, addendo, aut minuendo retardant, vel progrediuntur. Hinc Chronologi, hinc Patres Ecclesiæ (vno Augustino excepto, qui vtpoté odorans posibilem aliquem versionum consensum, vel conformitatem, medius hæret, concordiam tentat, diuinat industriam) nec hàc, aut illàc pedem figunt, quiescunt animo. Videbis, Græcam Translationem sectari aliquos (sed paucissimi sunt;) reliquos Latinam subsequi, sed non fidelitèr; quippe prætérquamquod aliquí ad Vulgatam annos excesivè apponant, & reponant alij; ipsos annos vel horis, diebus, noctibus, aut in mensibus, siue obscurant, vel procrastinant, quasi Iosue possent clamore valido dicere: *Sol, ne mouearis.* Sed adhuc Vulgatos nostros (inquam Vulgatæ Sectatores) non parum torquet Catholicæ Romanæ Ecclesiæ auctoritas in Peruigilio Natiuitatis Domini; siquidem tympano, & choro, organo, & solemnissima laude incipit modulari: *Anno à creatione Mundi, quando in principio Deus creauit cœlum, & terram quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono.* Ecce Ecclesia proferens ipsam Septuaginta Interpretum Supputationem, relicta in ferè omnium opinione nostræ Latinæ Chronologia, quæ vsque Saluatoris nostri adventum in carne pasibili; (iuxta communem Auctorum) numerat à mundi initio ter millesimos nongentesimos sexaginta tres. Excessus est notus in annis 1236, quibus Græca Latinam superat. Tamen adhuc Vulgata (hoc non obstante) ipsius Ecclesiæ auctoritate, & maiori commendatione viget, cum Synodus Tridentina sess. 4. in Decreto *de editione, & vsu Sacrorum Librorum* ita decernat, ibi: *Statuit, & declarat* (Sacrosancta Synodus) *vt hæc ipsa Vetus, & Vulgata Editio, quæ longo tot sæculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur: & vt nemo illam reijcere QVOVIS PRÆTEXTV audeat, vel presumat.* Vide Ecclesiam eleuantem ita sublimitèr Vulgatam, vt nullo valeat adversari prætextu: Vide etiam, ipsam Ecclesiam sectari in Chronologia Mundi Translationem Græcam, quæ ita excedit Latinam, vt per mille, & amplius annos ab ipsa elongetur: Vide siue Gordium nodum, siue Samsonis funiculos fere insolubiles: & Vide denique exhinc Chronologos distrahi, pro euidenti certitudine habentes, apud vnam solum ex Versionibus veritatem extare, repugnare apud vtramque, quia vrget discrepantia annorum, & vrgent alia, feré consensu imposibilia, quæ à num. marg. 19. vsque 31. in hoc opere continentur.

D. Augustinus, lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 13. per totum.

2 Hæc ita res ardua maximorum ingenia hominum premebat, quando Auctor noster, nescio, quo Diuino afflatu, aut superno instinctu plura apud se meditabatur circa hanc clarisimam annorum discrepantiam inter Versiones, circa Versiones ipsas, circa varias combinationes faciendas, &, habita non vulgari eruditione in Supputationibus, circa modos

dos

dos varios eam applicandi ad Sacram Chronologiam. Et quia à Doctoribus non nisi apertissimæ Discordiæ vocem,& clamores audiebat; tunc firmissimè statuit apud se, ipsos Sacræ Litteræ textus ex vtraque translatione evolvere diligentissimè; & omni postposita ingentis laboris desidia, concordiam aggreditur, potius hucusque omnibus occultam, quàm repugnantem. Intendat Lector dicendis,& referam ego præsentis Operis, sive progressus mirabiles, sive firmitudinem fundamentorum, quibus Concordiæ huius harmonia & erigitur,& lucem vidit.

3 In primis Auctor noster pedetentim Labyrinthum ingrediens, & in vestibulo limina ipsa quasi perpendens, aut examinans, resoluit apud se, rectè cogitans, quod, etsi nostra Vulgata infallibili splendeat veritate, non proinde à veritate, & auctoritate sua deficit Græca translatio, adhuc post Tridentinum; ac proinde apud nullam ex eis versari errorem adhuc in Chronologijs religiosa veneratione credit: Nefas enim esset, in alijs veras infallibilitèr esse Versiones,& in annorum supputatione deficere alteram. Quod vero specialitèr Septuaginta Interpretum translatio procul sit ab omni erroris nævo, vel vmbra, insinuat Auctor, numer. marg. 20. adducens Baronium in Apparatu, & à num. marg. 141. Sed quia Ciaconius in Issagoge ad Pontificum Ecclesiasticam Historiam sub titulo *Anni Hebræorum*, ait: *Neque proinde Græcorum supputationibus ex Septuaginta Interpretum versione mutuatis acquiescendum arbitramur, in qua annorum numeri non pauci Scriptorum oscitantia, incuria, & somnolentia, vt credi par est, deprehenduntur corrupti, & deprauati,&c:* Et quia etiam plures inveniuntur meticulosi in præstanda Septuaginta Interpretibus veritate infallibili in omnibus, & per omnia; sciant cuncti, Christum Dominum, Euangelistas, & Apostolos, dum sæpius Prophetarum veteris legis oracula, & testimonia citant, non alia, quàm horum Interpretum versione vti: sciant, Ecclesiam Romanam in Responsorijs Officij, Missarum Introitibus, Gradualibus, & alijs non nisi Græcæ translationis voces accipere, vel recitandas, vel modulandas: Et denique audiant vnum, aut alium ex Patribus tàm Græcis, quàm Latinis: Ex Græcis quidem Irenæum, lib.3.cap.25.de versione Septuaginta, dicentem: *Etenim Apostoli, cum sint his omnibus vetustiores, consonant prædictæ interpretationi, & interpretatio consonat Apostolorum traditioni. Etenim Petrus, & Ioannes, & Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps; & horum sectatores, Prophetica omnia ita annuntiaverunt quemadmodum seniorum interpretatio continet. Vnus enim, & idem Spiritus Dei, qui in Prophetis quidem præconavit quis, & qualis esset adventus Domini, in senioribus autem interpretatus est bene, quæ bene prophetata fuerant.* Clementem Alexandrinum, lib.1.Stromat. *Neque vero ab inspiratione Dei erat alienum, qui prophetiam dederat, vt interpretationem quoque tamquam Græcam efficeret Prophetiam.* Origenem homil.1.in Cant. *Nos Septuaginta Interpretum scripta per omnia custodimus.* Chrisostomum homil.5.ad cap.1.Matth. *Ad faciendam veræ translationis fidem, omnibus alijs iure Septuaginta Interpretes sint digniores.* Ex Latinis autem Hilarium sup.Psalm.2. *Perfecta horum Septuaginta Interpretum auctoritas manet.* Hieronymum Epist. 101. ad Pammachium, cap. 4.de optimo genere interpretandi: *Septuaginta editio vires obtinuit in Ecclesijs.* Ommitto alios.

Vide alia apud Iodocum Coccium in thesauro Catholico, li. 6. art. 2. per totum.

At

4 At inquies: sectaremur quidem versionem Græcam veluti infallibili veritate pollentem; sed tamen deprauata est, & corrupta transcribentium inscitia. Sed respondeo, vnde tibi constat deprauatos Septuaginta? Nescies. Ego scio, D. Augustinum lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 13. dicere apud se habere quinque transcriptiones versionis Græcæ, vnam Latinam, aliam Siram, & tres Græcas, & omnes conformari in jota, & apice: Item notoria est Sixti V. cura in accurata Septuaginta versionis recusione: ergo iam nec verbum sonare debet deprauationis Septuaginta. Potuit, fateor, & ita à Doctoribus scribitur inscitia transcribentium deprauare; sed nec omnes transcribentes inscij, nec deprauatores. Quam nunc habemus transcriptionem ex Sanctis Patribus accepimus, qui accuratissimi erant: ergo ex hoc non valet deficere à nostra veneratione Græca translatio. Vlterius instas: In alijs infallibilitèr veros esse Septuaginta, non in Chronologijs; quia excedunt Vulgatam in numero excessivo annorum. Sed O! Quisquis talia faris. Nonne hæc methodus est solvendi antinomias Sacrorum Bibliorum? Minimè. In ipsa Vulgata apparentèr clausulas integras ex varijs locis concertare conspicimus; & tamen compositioni insistimus, concordiam quærimus, investigamus. Cur non ita inter Græcam, & Vulgatam quoad annorum supputationem? Si in vno, quantumvis minimo, à vero Vulgata nostra deuiaret, in alijs quis crederet? Ergo implicat, Septuaginta veros in alijs esse, & non in Chronologia. Vel melius infero: Ergo qui Septuaginta versionem quoad alia recipiunt, & respuunt quoad computus annorum, sibi ipsis implicant: quia semper est in promptu, quare, vel vnde scis errorem in Chronologijs, & rectum in alijs? Igitur investiganda diligentissimè est solutio huius celeberrimæ antinomiæ versiones inter, quoad Chronologiam Mundi infallibilitèr stabiliendam; vt noster Auctor, non inanis gloriæ cupidus, sed hauriendæ veritatis solicitus, aggreditur in præsenti celebri laborioso opere nimis.

5 Secundò meditabatur Auctor; versionum discrepantiam in Chronologia, non omnes transcendere ætates, sed tantúm in prima, & secunda; nempe ab Adam vsque ad Diluvium; & ab hoc vsque ad Abrahamum involvi, & apparére; cum à secunda per tertiam, quartam, quintam vsque sextæ initium, quod est Chronologiæ terminus, annus nempe Natiuitatis Dominicæ, concordes penitùs procedant, æquales annorum supputatione evadant, & mirabili invicem respondeant concordi harmonia. Hoc supponit Auctor in sui operis decursu, dum totus est in examinandis, evoluendisque solum prima, & secunda Mundi ætate, quæ cap. 5. & 11. Genesis continentur expresse in vtraque versione. Sed specialitèr numer. marg. 114. ait Auctor: *In secunda ætate terminus est diuersitatis, & pugnæ versionum Vulgatæ, & Septuaginta: exinde enim per omnes Sacros Libros sibi consonant.* Et certè hæsitanti in hac veritate facile occurremus, si præter primam, & secundam ætatem, reliquas per se seorsim offeramus ad combinationem. Accedat ergo quisquis incredulus ad Sacra Biblia, non vero ad Auctores, qui in hoc, sicut & in alijs Chronologiæ punctis, acervatim distribuunt, vel numeros, vel annos ad libitum; accedat (inquam) & versiones conferat.

6 Tertio diligentissimus Auctor noster observauit, in his ipsis

prima,

prima, & secunda ætate mundi perpendendos valde esse annos, tùm in ipsorum Patrum vitis simplicitèr ab eorum Natiuitate vsque ad mortem; tùm in suorum generationibus filiorum; tùm in Postgenerationibus. Ratio est apertissima, quia versiones ipsæ non in omnibus his discrepant, cum in aliquibus ex his conveniant. Discordant ergo versiones in Generationibus filiorum, discrepant in Postgenerationibus; sed vnivocæ sunt quoad annorum numeros in vita simplicitér vniuscuiusque Patris à natiuitate vsque ad mortem. Huius meditationis subtilissimam veritatem convincit Auctor, à numer. marg. 1. vsque 6. inclusive; ad oculum offerens Sacræ Litteræ textus ex vtraque versione litterales, & posteà à num. 7. vsque 17. per clarissimos Laterculos, factis combinationibus varijs per primam, & secundam ætatem in Generationibus filiorum, Postgenerationibus, vitis, & mortibus Patrum consonam, vel dissonam respectivè annorum supputationem inter versiones aperiens. Sed adhuc in hoc ipso reflectens oculatissimus D. Doctor Leiva aduertit num. marg. 7. & 8. Septuaginta excedere annis Vulgatam in filiorum Generationibus; at in Postgenerationibus Vulgatam superare Græcum Interpretem, & quoad Patrum vitas simpliciter à natiuitate vsque ad mortem æquales progredi versiones, vt dixi; quamvis in his ipsis dissensibus, aut consensibus annotatis nonnihil exceptionis obseruet noster Auctor ex textus littera, de quo ibi.

7 Quartò, exploratissimus Auctor noster reflexionem oculatissimam faciens in annis additis à Septuaginta Interpretibus Vulgatæ in Generationibus filiorum (nota Lector quod ex his generationibus desumitur Chronologia Mundi, præcipuè in vtraque versione, cap. 5. & 11. Genes.) obseruauit, Annorum additionem, nec arbitrariam, aut tumultuariam esse; sed satis industriosam, attentatam; imo vt proprius loquar ob aliquod sigilantem mysterium, aut sacramentum, quasi mille Argos oculis fixam. Et mirandum est, quod dum Doctoribus specialissimum motivum esse deberent Additiones istæ in magnam eundi expectationem alicuius Diuinæ, vel Sapientiæ, vel Prouidentiæ arcani sacri; potius siue incuriæ oscitantiæ, aut inconsiderationi Septuaginta Iterpretum, vel saltem inscitiæ transcribentium est ab aliquibus tributum. Mirabile, inquam, & difficile creditu, quod sine laboriosa aliqua in his additionibus Industriæ ponderatione, in additionem ipsam se vertant, vt euertant temerè! O homines! Si intelligunt aliquando, O! Plaudent manibus, quamvis non omnia lecta plausibilia. Si non penetrant, defecit opus, Auctor in culpa est, cum potius Lector. Accedat ergo iste quisquis, imo cuncti accedant vigiles, quia Auctor noster Textu Sacro eruditus ait: Palpate, & videte, quoniam Spiritus Vulgatæ tot annorum corpus non habet, sicut iudicio Ecclesiæ Chronologiam, à Septuaginta compaginatam videtis habere. Ergo vnum totum quoad annorum Supputationem efficiunt versiones istæ; spiritus est Vulgata, Græca corpus; hæc apparet, expanditur, & vt ita dicam, palpatur; illa virtute sua semper adest, vbique numerat, quamvis per corporeos numeros, nempe per centenaria annorum addita à Septuaginta, quæ perpendit Auctor attentissime, & bene consulta inuenit. Vide ipsum, ne actum agamus, num. 7. & 8. vbi etiam in aliquibus Patribus abesse additionem videbis, vtpotè tunc superfluam, de quo infra nos tantisper.

8 Quintò, noster Auctor considerat attentè, qui Patres primæ, & secundæ ætatis in vtraque versione numerandi sunt, & Chronologiæ, & Concordiæ adaptandi. Et in hoc certe vellem huius insignis Operis Lectorem valde esse animadversum: adsunt siquidem offendicula nonnulla, & aliqua non vulgaris difficultatis, præcipuè circa vnum Patrem, cap. 11. Genesis, & est Caynam, circa quem versiones dissonant. Vulgata siquidem illum silentio præterit, & in re omittendus est, de quo nos infra prope finem huius Manuductionis; Septuaginta verò eum exprimunt, quos sequens S. Lucas in Euangelio, cap. 3. ipsum enumerat. Auctor noster hoc ex professo discutit à num. marg. 249. (quamvis sit antinomia ab omnibus Scripturarijs componenda, & non præcisse à solo nostro Auctore) & resoluit, excludendum; quod ferè euidentèr conuincit. Restat, vt in compendio Patrum numerum pro duabus ætatibus, ex Auctore, imo ex textu Sacro Lectoris oculis objiciam. Sunt igitur pro prima ætate vsque ad Diluvium, cap. 5. Genes. *Adam, Seth, Enos, Caynam, Malaleel, Iared, Henoch, Mathusala, Lamech, & Noe.* Sunt omnes decem. Pro secunda ætate post Diluvium, cap. 11. Genes. *Sem, Arphaxad,* (omisso hic Caynam ex Vulgata) *Sale, Heber, Phaleg, Reu, Sarug, Nachor, & Thare,* Abrahæ Pater. Sunt omnes nouem, ita vt vtriusque ætatis Patres sunt 19 tantùm.

9 Sextò, Auctor præ oculis habet, & Lector debet habere, quod quamvis in Sacro Geneseos textu plurium Patrum circumferantur generationes filiorum; non tamen omnes Patres, neque generationes omnes præter relatos ad Chronologiam pertinent. Ratio est ipsa textus Sacri Littera, quæ cap. 5. & 11. Genesis, dum ordinat Mundi Chronologiam, solos enumerat prædictos Patres, expresśis annis, hinc inde; de reliquis autem, aut eorum generationibus in confuso ait: *Genuit filios, & filias,* alto silentio relictis tàm eorum nominibus, quàm annorum numero pro suis generationibus. Sed adhuc mirabilius est, quod dum Moises, cap. 4. Genes. Cain refert posteritatem, & cap. 10. Iaphet, & Cham; licèt hic, & ibi nomina exprimat filiorum, non autem generationum annos, in quo evidentèr ostendit, & vult, hos Patres, eorumque filios non attendendos pro Mundi Chronologia, sed relatos tantùm numero antecedenti.

10 Hucusque Auctoris meditationes exploratisśimas vtriusque versionis in Sacri textus Littera aperuimus, quas Auctor tacuit in opere in parte, in parte exprimit; quia totum operis præcipuè intendebat. Sed O! Restant alia, imo potiora cognitionis absconditæ, non solum sciolis, sed adhuc vulgari tantùm eruditione edoctis; quæ cardo sunt, in quo concordiæ machina vltrò, citròque voluitur. Igitur apud Ægyptios quasi versans Auctor noster (manuducente, quo? Nisi illo Athanasio Kilker, Societatis Iesu, mihi colendisśimæ, præclaro Procere, grauioris, & secretioris Litteraturæ armario plenisśimo, numquam satis laudato, quamvis laudando semper) adinvenit quamdam annorum Supputationem, & seriem euidentèr introductam, & expressam in cap. 5, & 11. Genes. à Moise, sapientia Orientalium valdè imbuto, vtpote ibi nato, ibi erudito & diuinitùs, & humanitùs. Ast, quia à numero marg. 37. vsque 139. in præsenti opere Auctor ad longum Ægyptiacæ Computationis huiusce lineas, ducit, & reducit ad Geneseos dicta capita in vtraque versione pro earum Concordia, absit vt repetam tot ibi dicta, & fœlicitèr applicata. Sed tamen compendiosam huius harmonicæ Supputationis seriem breuitèr insinua-

ſinuare, non grauabor, quæ fortè aliquibus non adeò verſatis fax erit prò operis intelligentia; quamvis opus non egeat, vtpotè clariſsimum.

11 Ergo Ægyptij ponderoſa iudicij, & ſapientiæ lance Solis ortum, gyrum, & occaſum obſervantes, præter vulgares annos (qui 365 diebus conſtant, vel 366 ſi eſt biſſextilis, dum vnoque quarto anno fit intercalatio propter exceſſum ſex horarum, quæ ſingulis annis ſuperſunt ad 365 dies, quam Iulius Cæſar Romæ introduxit, & Romana ſeruat Eccleſia) ſtatuerunt aliam anni induſtrioſam computationem pro inſignibus rebus, poſteritati in ſpecialiſsimam venerationem relinquendis; qui anni; alio nomine, alia item numerorum ſumma, licèt infallibili, apud eruditos tantùm ſervarentur. Erat ergo (attendat Lector, quia ſumo Concordiæ clavem) erat inquam apud Ægyptios vnus Annus, qui conſtabat ex 365 annis vulgaribus; erat alter annus, qui ex 1460 vulgaribus componebatur. Vnuſquiſque ex his duobus annis appellabatur *Annus Magnus*, ſed vlterius annus ex 365 dicebatur *annus Sothicus*, ſeu *Solis*; annus verò ex 1460 appellabatur *Cynicus*, *Ægyptiacus*. Vlterius annus ille Sothicus, ſeu Solis ex 365 erat ænigmaticus, vel virtualis; quia ad ſui reſolutionem pendebat à multiplicatione per 4: facta enim iſta, reſultant 1460 anni, qui ſunt ille annus Cynicus 1460; ex quo ſequitur, quod annus Sothicus, & annus Cynicus in re idem ſunt; aſt cum hac differentia, quod Sothicus erat abſconditus, & pendens ab illa multiplicatione per 4: at vero Cynicus erat expreſſus, clarus; vel vt ita dicam, expanſus; & etiam erat declarativus anni Sothici. Huius inventionis eruditio ſatis clara eſt in præſenti opere à num. marg. 37, & per ſequentes, vbi dicitur etiam, quod annus Cynicus, ſi erat perfectus, hoc eſt, cum ſua intercalatione, conſtabat ex 1461: item plura inculcat Auctor de multiplicatione per 4 pro anno Sothico, ſeu Solis, ſumpta paritate à menſura ARVALI, qua ſæcula metiebantur Ægyptij, & vnaquæque erat 25 annorum; ita vt quatuor ex his menſuris centum annos efficerent.

Athanaſius KilKer. in œdipo paſsim, præcipuè tom 2. de œdipo, part. 2. claſ. 7. cap. 1. & 2. & alibi adducens Theonem, Alexandrinum, Cenſorinum, Geminum, Hali, Lõgium, Diodorũ, Strabonem, Lucianum, Plutarchum, Plinium, & alios

Additur Ioſephus Scaliger de emmendatione temporũ, lib. 3. ſub titulo: De Anno Ægyptio; *& quamvis Auctor damnatus, permiſſus quoad computus*

Tyrinus Chronic. Sacr. cap. 21.

12 Ad noſtrum caſum revertentes, palmari demonſtratione apparet, Græcam, & Vulgatam verſiones in Chronologia Mundi habere duos annos magnos, vnum in prima ætate, alium in ſecunda; vnum in Raptu Henoch. cap. 5. Geneſ. aliam in Promiſsione Meſiæ Abrahæ facta cap. 12. Geneſeos. Sed cum hac differentia, quod in Vulgata iſti duo anni magni indigent multiplicatione, quia ſunt *Sothici*, ſeu *Solis*; & proptereá virtuales, ænigmatici, vel abſconditi: at in Septuaginta iſti duo anni magni ſunt expreſsi, ſive expanſi, *Cynici*, ſive *Ægyptij*. Cum autem Interpretes Græci poſituri eſſent expreſſos ſuos duos annos magnos, propterea addiderunt tot centenaria annorum ad annos Vulgatæ in cap. 5. & 11. Geneſ. vtentes arvali menſura ad ſolvendum Vulgatæ ænigma, & vt Mundi Chronologia expreſſa, & clara decurreret. Ex his evidentèr conſtat, Septuaginta Interpretes per centenariorum additionem ad Vulgatam in duabus illuſtrioribus epochis, ſeu Mundi eventibus mirabilioribus, nempè Raptu Henoch, & Meſiæ Promiſsione duabus primis mundi ætatibus, cap. 5. & 11. Geneſ. eſſe Gloſſatores, Declaratores, imo & Solutores ænigmatis anni Sothici contenti in Vulgata; quod Auctor mathematicè oſtendit à num. marg. 126, vſque 139 excluſivè.

13 Aſt quia fortè aliqui, vel conceptu imbecilli, quamvis ſtudioſo, vel ſaltem temporis preſura impediti, percurrere non valebunt totum

Con-

Concordiæ opus; & vt hic aliquantis perdemonstrem, excessum annorum à Septuaginta Interpretibus supra Vulgatam in duabus primis mundi ætatibus, esse sacramentum illud *anni Magni* sæculis hucusque abscon-ditum, ænigma, aut mysterium ab Auctore industriose simul, & laboriose solutum, & detectum, nullo non evoluto supputationum lapide (vt patet à num. marg. 139 vsque fere finem operis per tria selectissima Media, vt ipse vocat, *Exercitationis, decisionum, & demonstrationum*) placuit hic subijcere huius industriæ aliqualem verificationem; duorum annorum magnorum applicationem ad duas primas ætates; & versionum Græcæ, & vulgatæ Concordiam in compendio. Intendat Lector, & videat, quod duo promitto, vnum aperire duos annos magnos in cap. 5. & 11. Genes. à Septuaginta expressos, & à Vulgata signatos: alterum, Compendium Concordiæ ponere.

14 Circa primum, & loquendo de prima ætate, Annus magnus, licèt Sothicus, seu Solis est in Vulgata, cap. 5. Genes. dum ait Sacer Textus: *Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni: ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Hæc Vulgata. Raptus ergo Henoch fuit vitæ suæ annis — 365

Multiplica hos annos per — 4

Efficiunt —— 1460, qui est Annus Magnus Cynicus, licèt Sothicus in Vulgata, dependens à multiplicatione iuxta eruditionem Ægyptiacam, quâ vsus Interpres Latinus propter relinquendam sæculis, aut posteritati huius Raptus memoriam venerabilissimam.

15 Audi autem nunc Septuaginta Interpretes hunc Annum Magnum primæ ætatis ponentes expressum per suas centenariorum additiones. Igitur quando evenit mirandus hic Henoch Raptus, currebant anni Mundi iuxta Vulgatam —— 875, vt videri potest in textu cap. 5. Genes. facta summa. Septuaginta vsque tunc per centenarios —— 586 addiderant.

Efficiunt —— 1461 qui est annus magnus Cynicus, & perfectissimus; quo convincitur evidentèr, additionem Septuaginta tot centenariorum fuisse propter hoc mysterium.

16 Quod vero additio industriosa centenariorum à Septuaginta importet illos 586 annos, est euidens, lecto eorum textu:

Nam dum Adam genuit Seth, habent Septuag. — 230 — In Vulgata — 130
Dum Seth genuit Enos, habent Septuag. —— 205 — In Vulgata — 105
Dum Enos genuit Caynam, habent Septuag. — 190 — In Vulgata — 90
Dum Caynam genuit Malaleel, habent Septuag. — 170 — In Vulgata — 70
Dum Malaleel genuit Iared, habent Septuag. —— 165 — In Vulgata — 65
Dum Iared genuit Henoch, habent Septuag. —— 162 — In Vulgata — 162 hic equales versiones.
Dum Henoch genuit Mathusala, habent Septuag. — 165 — In Vulgata — 65
Dum Mathusala genuit Lamech, habent Septuag. — 167 — In Vulgata — 187 plus Vulgata 20.
Raptus Henoch fuit infantiæ Lamech anno —— 6 — In Vulgata — 1 anno

1460 875

Ex his apparet; quod Septuaginta addiderunt supra Vulgatam

in Adam —— 100
in Seth —— 100
in Enos —— 100
in Caynam —— 100
in Malaleel —— 100
nihil in Iared —— 000
In Henoch 100, sed auferunt Septuaginta 20, & manent —— 080
Ex infantia Lamech assumunt Septuaginta —— 6.

Ergo additi à Septuaginta faciunt —— 586,
qui iuncti cum summa Vulgatæ — 875
586

Efficiunt —— 1461. Quid clarius?

17 Viso iam evidentèr primo anno magno in prima ætate apud vtramque versionem, nempè apud Vulgatam Sothico, seu Solis, & apud Septuaginta Cynico, expresso, seu expanso propter centenariorum additiones; accedamus ad secundum annum magnum, Cynicum quidem in Septuaginta, & Sothicum in Vulgata pro secunda ætate, quæ est post Diluvium, cap. 11. Genes. Igitur pro hoc anno ab Arphaxad vsque ad Promissionem Mesiæ, factam Abrahæ, ponit expresse Vulgata — 365 annos in generationibus filiorum, quos, si vt supra fecisti, & est animadversum, multiplices per —— 4

Efficiunt —— 1460, & illi 365 sunt vnus annus Sothicus, seu Solis, vt iam est notatum. Quod vero sint in Vulgata illi 365 patet litteralitèr ex textu: nam ibi dicitur, quod dum Arphaxad genuit Sale, habebat —— 35 annos.

Dum Sale genuit Heber, habebat —— 30
Dum Heber genuit Phaleg, habebat —— 34
Dum Phaleg genuit Reu, habebat —— 30
Dum Reu genuit Sarug, habebat —— 32
Dum Sarug genuit Nachor, habebat —— 30
Dum Nachor genuit Thare, habebat —— 29
Dum Thare genuit Abraham, habebat —— 70
Dum cap. 12. Genes. Promissio Mesiæ facta fuit Abrahæ, habebat iste —— 75

Efficiunt —— 365 — qui est annus Sothicus, seu Solis, & multiplicatus per 4, facit 1460 hoc modo —— 4

1460 — qui est annus Cynicus expressus.

18 Videamus Septuaginta, quomodo cum additione suorum

centenariorum efficiunt suum secundum annum magnum expressum, Cyhicum, & perfectissimum. Igitur Septuaginta incipiunt harmoniam sui secundi anni magni ab anno vitæ Noe 81 iuxta ipsos, qui concurrunt cum 1723 iuxta Vulgatam. Ergo ab anno 81 vitæ Noe iuxta Septuaginta vsque ad Diluvium iuxta Vulgatam sunt—519 intercapedinis.

De filio Sem biennio post Diluvium——— 2
De filio eius Arphaxad——————— 35 omisso hic Caynam cum
De filio eius Sale ——————— 130 omnibus suis annis ex Vul-
De filio eius Heber ——————— 134 gata, vt infra dicam.
De filio eius Phaleg——————— 130
De filio eius Reu——————— 132
De filio eius Sarug——————— 130
De filio eius Nachor——————— 179
De filio eius Thare ——————— 70

Efficiunt vsque ad Abraham———— 1461, qui est annus magnus Cynicus, expressus, & perfectissimus à Septuaginta Interpretibus, propter additiones centenariorum in hac secunda ætate, cap. 11. Genesis.

Vel aliter brevius, si vis. Accipe totam lineam 19 Patrum iuxta Septuaginta ab Adam vsque nativitatem Abrahę, & sunt omnes anni— 3184
Linea Vulgatæ ab Adam vsque ad Heber, qui ibi est vltimus —— 1723

Fac computum, qui dicitur restandi, Hispanicè *restar*———— 1461

resultat annus magnus, propter additionem Septuaginta in suis centenarijs, & propter alia, quæ possunt videri in hoc Opere in Secundo, & Tertio Medio à numero marg. 243 vsque finem Operis. Et est adeò industriosa, & mirabilis hęc additio centenariorum à Septuaginta Interpretibus, & fabrica etiam anni magni, vt Auctor noster à num. marg. 276 vsque 290 per quatuor clarissimos Laterculos in vnoquoque Patre vtriusque primæ, & secundæ ætatis ab Adam vsque ad Abraham (factis combinationibus) exprimat, & deducat annum magnum. Vide ibi, quia mihi satis debuit esse nuperrimam anni magni verificationem insinuare, tàm in Vulgata, quàm in Septuaginta, cap. 5. & 11. Genesis, concludendo, huius magni anni expressionem esse mysterium centenariorum à Septuaginta additorum, & tota causa discordiæ versionum in Chronologia Mundi.

19 Circa secundum, quod promisi, nempè, compendio tradere Concordiam inter Gręcam, & Vulgatam versiones, quæ Concordia, consensus, consonantia, aut conformitas est finis, motivum, aut terminus huius valde laboriosi operis, quod Auctor in Sanctæ Romanæ Matris nostræ Ecclesiæ obsequium fuit aggressus, attende benè.

A creatione Mundi vsque ad Natiuitatem Abrahę iuxta Septuaginta sunt — 3184
Eodem tempore iuxta Vulgatam sunt — 1948

Excessus Septuaginta supra Vulgatam sunt — 1236

Hic

Hic excessus provenit ex additione centenariorum, quæ Septuaginta posuerunt in generationibus filiorum, tùm vt exprimerent, vel expanderent suos duos annos magnos Cynicos in prima, & secunda ætate; tùm vt in rei veritate annos legitimè decursos per duas primas ætates numerarent, quos Vulgata sygillaverat in suis duobus annis Sothicis, seu Solis, vt visum est suprà. Sed quia fortè in his grauissimis materijs non sufficit dicere, sed vltra probanda sunt dicta, probo euidentèr, quod centenaria annorum à Septuaginta additorum supra Vulgatam in cap. 5. & 11. Genes. efficiunt illos annos 1236. Nàm capite 5. Geneseos vsque ad Raptum Henoch addiderunt Septuaginta —— 586 annos, vt vidimus palmaritèr, collatis versionibus, num. 16. in fine.

In secunda ætate — 650 sunt additi à Septuaginta supra Vulgatam, c. 11. Genes. Efficiunt 1236 anni. Quod verò in secunda ætate anni additi à Septuaginta sint illi 650, probo mathematicè, collatis versionibus in hac secunda ætate; advertendo prius, quod non debent computari anni Caynam, tùm propter hucusque insinuata, tùm propter infra dicenda; & ex consequenti non admisso isto Caynam, suus Pater Arphaxad debet relinqui, vt est in Vulgata, cum suis 35 annis sine additione; & sic combinatio versionum debet incipere à Sale hac methodo:

Dum Sale genuit Heber, habebat iuxta Septuag. — 130 — Iuxta Vulgatam — 30
Dum Heber genuit Phaleg, habebat iuxta Septua. — 134 — Iuxta Vulgatam — 34
Dum Phaleg genuit Reu, habebat iuxta Septuag. — 130 — Iuxta Vulgatam — 30
Dum Reu genuit Sarug, habebat iuxta Septuag. — 132 — Iuxta Vulgatam — 32
Dum Sarug genuit Nachor, habebat iuxta Lxx — 130 — Iuxta Vulgatam — 30
Dum Nachor genuit Thare, habebat iuxta Lxx — 179 — Iuxta Vulgatam — 29
Dum Thare genuit Abraham, habebat ex Sept. — 70 — Iuxta Vulgatam idem — 70

905   255

Ex hoc patet, quod Septuaginta addiderunt in hac secunda ætate, in Sale — 100
In Heber — 100
In Phaleg — 100
In Reu — 100
In Sarug — 100
In Nachor — 150

Efficiunt — 650, qui si iungantur, vt dixi, cum additis à Septuaginta in prima ætate, & erant — 586

Efficiunt — 1236. Ergo euidentèr constat, quod centenaria addita à Septuaginta in prima, & secunda ætate, efficiunt illos 1236 annos, in quibus Septuaginta excedunt Vulgatam. Ergo si Vulgata poneret expressos, & expansos suos duos annos magnos in illis duobus mirabilibus Epochis, sive mundi eventibus, Raptu Henoch in prima ætate, &

Me-

Mesiæ Promissione in secunda, haberet eosdem omnino annos ac Septuaginta in duabus primis ætatibus. Est evidens. Ergo si Septuaginta posuissent suos annos magnos Sothicos,& Vulgata Cynicos, Vulgata excederet Septuaginta. Est euidens, quia per accidens fuit, quod Vulgatæ apponerentur anni Sothici,& Græcæ versioni Cynici, seu expresi. Ergo tandem Vulgata eosdem omnino in re annos habet in Chronologia mundi, ac Græca translatio; licèt cum hac differentia, quod Vulgata habet suos duos annos magnos sygillatos, absconditos, virtualesque in annis Sothicis, & propterea retardatur in Chronologia; Septuaginta verò explicatos, expressos, expansos, sive claros, vtpote Cynicos. Ergo nec vna, nec alia deficit versio; sed vna aliam explicat, nempe Græca Vulgatam. Ergo dicente Ecclesia in Martyrologio ex Septuaginta Interpretibus: A creatione Mundi vsque ad Christi Natalitium——————5199

Et dicente Vulgata: A creatione Mundi vsque ad Christi Natalitium—3963

Concordant benè, si ille excessus annorum——————1236

applicetur Vulgatæ, vt debet applicari, & sic Vulgata habebit sicut Ecclesia, & Septuaginta——————5199

Fac computum, & reperies innegabilem hanc Concordiam. In ipsa optimus est Auctor per totum fermè opus; sed specialitèr à num. marg. 346 vsque in finem.

20 Ex hac Concordia inter versiones Vulgatam, & Græcam, quę mathematicè convincit quantumvis scrupulosum computistam, aut Chronologum sequitur solutio trium celeberrimarum quæstionum, quas valde acritèr concertant hinc indè Scripturarij, & Sancti Patres, & nusquam sunt definitæ propter conceptam hucusque discrepantiam, & discordiam versionum. Prima est: vtrùm Mathusala filius Henoch, & pater Lamech mortuus sit ante Diluvium? an Diluvio perierit, vel vtrum post Diluvium vixerit? D. Augustinus, lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 13 tenet duo, primùm est, Mathusala non potuisse viuere post Diluvium, quia D. Petrus Epistolâ 1. cap. 3. ait: In Arca Noe *pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.* Isti octo fuerunt Noe, eius vxor, tres filij, & tres eorum vxores, vt dicitur Genes. 7. nec est credibile, quod extra Arcam salvaretur. Secundùm quod Augustinus tenet, est, mortuum fuisse Mathusalá sex annis ante Diluvium. Alij tenent, Diluvio perijsse; sed tamen est inverisimile, Deum supplicio innundationis punire Mathusalá iustum, & rectum coram eo. Auctor noster à num. marg. 245 vsque 248 probat mathematicè, Augustini sententiam ex supputatione veram esse. Videatur ibi, quia extra genij mei genium est dicta repetere.

21 Secunda est: vtrùm præter Caynam, qui exprimitur, cap. 5. Genes. filius Enos, & pater Malaleel, concedendus sit alius Caynam, quem ponunt Septuaginta, cap. 11. Genes. filium Arphaxad, & patrem Sale? Quod debeat poni, probatur tùm ex textu Septuaginta Interpretum dicto cap. 11. Genes. tùm præcipuè, quia D. Lucas in suo Evangelio, cap. 3. illum expresse tradit dicens: *Qui fuit Sale, qui fuit Caynam, qui fuit Arphaxad.* Sed quod non debeat admitti, sed potius excludi, convincitur,

tùm

tum ex nostra Vulgata, quæ cap. 11. Genes. illum omittit; tùm ex cap. 1. lib. 1. Paralipom. vbi de eo nullam facit mentionem; tùm ex Sancta Romana Ecclesia in Chronologia Mundi in Dominicæ Natiuitatis Peruigilio, vbi non supputat istius Caynam annos Natiuitatis, generationis, & mortis. Igitur Auctor noster hoc secundum deducit verum ex varijs combinationibus suæ Concordiæ, & à num. marg. 249. resoluit, hunc Caynam optimè fuisse omissum tùm à Vulgata, tùm à Sancta Ecclesia. Et certe hoc est tenendum; quia preter fundamenta extrinseca petita à Vulgatæ, & Ecclesiæ auctoritate, adsunt duæ congruentiæ hanc exclusionem Caynam conuincentes: Prima est, quod dum in Septuaginta Interpretibus adducitur Caynam pater Sale, idem numerus annorum applicatur ad vnum, quàm ad alium; nam ibi Caynam habet in generatione 130 annos, Sale in generatione 130: Caynam in postgeneratione habet 330, Sale in postgeneratione 330: Caynam in tota sua vita 460 annos habet, Sale in tota sua vita 460. Quis ergo ex hac sola circunstantia non dicet, hunc Caynam esse ipsum Sale, licèt hic homo appelletur Caynam, & Sale? Hoc modo facile soluitur textus D. Lucæ, ita construendo, vt Sale sit in genitiuo casu, & Caynam in nominatiuo. Secunda est, quod qui introduxit hunc Caynam in cap. 11. Genes. in textu Septuaginta, laborabat equivocatione in alio Caynam, cap. 5. Genes. hic enim ponitur quartus numero, inter Patres primæ ætatis; & similitèr Sciolus ille apposuit etiam suum Caynam, quartum etiam numero inter Patres primæ ætatis. Propter hæc, & alia omitatur Caynam iste secundus, & ex consequenti, nec numerandi sunt anni eius in Chronologia, nec illi 100, quos Septuaginta apponunt, & addunt ad Arphaxad, dum generat Caynam; quia si non fuit Caynam, nec eius generatio fuit.

22 Tertia est illa celebris Antinomia, in cuius solutione plures hucusque desudarunt, & video, ipsam semper stare. Est ergo inter cap. 11. Genes. & cap. 7. Actor. Dicitur in cap. 11. Genes. quod Thare Pater Abraham mortuus est in Haran; & cap. 12. Genes. dicitur, quod supposita morte, & funerali Thare, Abraham exijt de Haran. At cap. 7. Actor. asseritur quod postquam Abrahan exijt de Haram, perrexit in Charam, hicque mortuus dicitur Thare. Quomodo simul mortuus Thare in Haran, & Charam simul? Et quomodo ante eggressum Abrahæ ex Haran, & post habitatum Charam simul moritur Thare? Non alitèr soluitur hæc Antinomia, quàm annorum supputatione. Videatur Auctor, num. marg. 415. vbi aliquid insinuat solutionis, & ego alibi, quia nunc excedit munus meum.

23 Tandem debeo, eggressus aliquantulum vicina, imo propria mea, vt melius dicam, quæ non sunt huius Concordiæ peregrina in medium adducere. Ergo Venerabilissima illa nostra Mater, & præcipuè mea, propter innumeras ferè mei erga ipsam obsequiosas, humiles, suplices recomendationes, Maria à Iesu de Agreda in secunda parte Mysticæ Ciuitatis Dei, lib. 3. cap. 11. num. marg. 138 ait Hispanicè loquendo de Diuini Verbi Incarnatione miranda: *Sucediò esto Viernes à veinte y cinco de Março al romper del Alva :::: y en el año de la Creacion del Mundo de cinco mil ciento y nouenta y nueue, como lo cuenta la Iglesia Romana en el Martyrologio, governada por el Espiritu Santo. Esta cuenta es la verdadera, y*

cierta; y assi se me ha declarado, preguntandolo por orden de la obediencia: Duo dicit Venerabilissima Mater, vnum, Dominicam Incarnationem fuisse à Creatione Mundi illo anno, quem dicit Romana Ecclesia in Martyrologio; & in hoc habet Ecclesiam pro se Venerabilissima Mater. Sed cum Ecclesia in illo Martyrologio non definiat, sed tantùm permittat, illum decantari computum annorum; quamvis hæc permissio sit magnæ auctoritatis, non tamen de fide manet ille computus, & potest Ecclesia, data meliori supputatione, variare Chronologiam. Propter hoc dicit secundum nostra Venerabilissima Mater, sibi fuisse reuelatum, Chronologiam Ecclesiæ in Martyrologio esse *veram, & certam.* Circa hoc laborabat aliquando Illustrissimus ille D.D. Iosephus Ximenez Samaniego Episcopus Placentinus, dum in Minoribus esset; sed præpeditus ingenti, & numerosa negotiorum cura propter Seraphici Ordinis latum regimen; aliquas (existimo, vsque ad nouem accedere) Epistolas familiarissimas ad nostrum Auctorem direxit, si forte Ecclesiæ Chronologiam ex Septuaginta Interpretibus desumptam, euidenti computatione posset *veram, & certam* demonstrare. Annuit Auctor noster, tùm in Ecclesiæ præcipuè obsequium, tùm in nostrę Venerabilissimæ Matris memoriam dulcissimam, tùm denique in Illustrissimi Principis amicabilem benevolentiam. Aggressus ergo Auctor Chronologiam, finem tandem vidit; vidit, & gauissus est, quia multis erat promissio facta, & non facilis exitus. Nunc iam quoad hoc punctum habent conmilitones mei nostri Auctoris euidentem demonstrationem, vt quantum humana valet tenuitas, valeat exclamare cum Venerabilissima nostra Matre: Chronologia Ecclesiæ *vera, & certa est*, non solum quia ab Ecclesia permissa, non solum, quia vt vera, & certa, Matri nostræ de Aggreda fuit reuelata, sed quia in se vera est, certa est, aut deficient palmares numerorum supputationes. Nec de hoc plura.

24 Hæc est, Lector quisquis, celeberrima Concordia à celeberrimo stabilita D. Illustrissimo Doctore D. Ioanne de Leyba. Hic est liber. Hic eius labor extra omnem expectationem prodiens. Quærat iam Fama (& nescio, an digne sonorum valeat invenire) lituum novum, vt in Vrbem, & Orbem de hoc buccinet tessellato Opere. O Fama! Si haud potes invenire, timeo, ne in tot repetitis clamoribus pro benemeritis insignium Personarum laudibus defesa sis lassitudine, canoraque sit deposita tuba. Ergo pro te, pro me, pro Opere isto, pro veritate aliquales accipiam à Nazianzeno (tantisper audi) excelsas, exaggeratas, candidas voces pro nostri Auctoris præconio digno, elogio debito. Quód disciplinæ genus est, in quo, ò Auctor, versatus non sis, atque ita eximie versatus, quasi in eo solo? Sic nimirum omnia complexus, vt ne vnum quidem quisquam; singula rursus ita ad summum quasi nihil aliud præterea didiceris? Quis in Rethorica illa, vim ignis spirante cum te comparandus? Quis in Grammatica, quæ linguam ad Græcismum format, historias colligit, metris præest, carminibus leges præscribit? Quis in Philosophia, excelsa proculdubio scientia, & sursum gradiente? Iam vero Geometriam, numerorũ proportiones hactenus didicisse contentus? Imò consummatus in breui, explens tempora multa, vt non ab ijs, qui in eiusmodi rebus sciti, & eruditi sunt exagitareris. Clamat opus istud tuum, erumpit in voces

D. Gregorius Nazianzenus Oratione in Magnum Basilium.

ces

tes concordes Concordia iſta tua, Euclidis regulas, forte oblitas meliori luce, atque lucem meliorem orientes, nempè ad lucidum tuum opus. Nec in apice ſcientiarum, Theologia, hoſpes noſter Auctor, aut peregrinus. Sacrorum Librorum Ortodoxorum Patrum accuratam in eo conſpicimus cognitionem, & de Deo, Angelis, Chriſtianæque Religionis Myſterijs, diſſertè, ſubtilitèr, grauitèr enucleat pluries. Sed iam quid dicam de proprio (& propria ſunt Auctoris munera hucuſque relata) Iuriſconſulti munere? Inſtitutionibus, Pandectis, & Conſtitutionibus Codicis plenè imbutus, Sacris Canonibus plenus adeoque.

Hic accedebam, & iam iam deponendus calamus prolixè ſatis hucuſque circuiens, ſiue promiſſam aliqualem pro, & ad iſtud opus Manuductionem, ſiue Epiſtolam Commendatitiam ad eruditum Illuſtriſsimum Auctorem dirigendam, quando D. D. Antonius de Alfaro & Sierra Regij Conſilij Advocatus, Ciuitatis Granatæ Præfectus, & eiuſdem Pro-Prætor iniungit Cenſoris munus cum huius Concordiæ Remiſsione. Sed quia iam abundè in Superioribus de Opere iſto aperui iudicium, expreſsi mentem, quia nullibi video diſſonum fidei, & morum regulis, nil à Sanctis Patribus devium, adeo, nec Regalibus Decretis contrarium, & certè Concordia iſta, non ſolum publicam lucem meretur, ſed quàm primò amandetur prælo, opportunum. Sic ſentio (ſaluo meliori) in Regio, & Magno Granatenſi Conuentu de Obſeruantia S.P. Noſtri Franciſci die 14 Aprilis anno 1701.

Fr. Ioannes de Aſcargorta.